

## ACTVS II

SANNIO AESCHINVS PARMENO (BACCHIS) i

155 *SA.* Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti  
auxilium,

subvenite inopi. *AE.* otiose: nunciam ilico hic consiste.  
quid respectas? nil periclist: numquam dum ego adero hic  
te tanget.

*SA.* ego istam invitis omnibus.

*AE.* quamquamst scelestu' non committet hodie unquam 5  
iterum ut vapulet.

160 *SA.* Aeschine, audi ne te ignarum fuisse dicas meorum  
morum:

leno ego sum. *AE.* scio. *SA.* at ita ut usquam fuit fide  
quisquam optuma.

tu quod te posteriu' purges hanc iniuriam mi nolle  
factam esse, hui(u)s non faciam. crede hoc, ego meum ius  
persequar

neque tu verbis solves unquam quod mihi re male feceris. 10

165 novi ego vostra haec: "nollem factum: iusiurandum  
dabitur te esse

indignum iniuria hac"—indignis quom egomet sim  
acceptus modis.

*AE.* abī prae strenue ac forēs aperi. *SA.* ceterum hoc  
nihili facis?

*AE.* ĩ ĩntro nunciām. *SA.* enīm non sinam. *AE.* accede  
illuc, Parmeno

(nimium istoc abisti), hic propter hunc adsiste: em sic volo. 15